



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XLVII. Quomodò Confessio debeat esse secreta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

88 *Caput III. De Qualitate*

monium de aliquibus contritionis signis, quæ si adfuerint, absque scrupulo potest absolui.

Porro si quis subito in phrenesin incidat, aut apoplexiam, alioue morbo corripiatur, quo totum corpus & mens stupeat, & nulla poenitentiae dederit signa; huic impendenda non est Sacramentalis Absolutio: Sacramentum tamen extremæ Vnctionis poterit ei conferri.

Quaestio
XLVII.

Quomodo Confessio debet esse secreta?

Responsio. **C**ONfessio peccatorum, publica quidem esse potest; plurimum tamen ad conseruationem eius in Ecclesia facit, vt sit secreta. Id quod hac ratione probatur: Legem naturæ lex gratiæ non destruit, sed perficit; lex autem naturæ docet & admonet, ne occulta verendaque crimina in publicum, nisi via iuris ad eorum vindictam proferantur. Lex autem gratiæ Diuinæ iubet omnia peccata, etiam occulta cōfiteri. Ergo inde colligitur, Confessionem debere esse secretam; alioqui renuente natura, aut homines confiteri nolent; aut non nisi violentissimè possent ad Confessionem adduci; cum tamen Diuina prouidentia iuxta cuiusque naturam & ingenium suauiter omnia disposuerit.

Igitur cum hæretici nos interrogando perurgent,

perurgent, vbi secreta Confessio in Euangelio reperiatur instituta, satis nobis est respondere, in Euangelio collatas esse Ecclesiæ claves, & potestatem remittendi peccata omnia, quæ DEVS remittit: Ergo omnia, etiam occultissima cordis, & hoc non nisi per iudicium, quod causæ cognitionem requirit, & eius naturæ est, ne occulta in publicum proferantur. Ergo in Euangelio est secreta Confessio instituta.

Licetne absenti Sacerdoti per nuntium confiteri?

Questio XLVIII.

Nequaquam: Quia forum Confessionis debet esse secretum, & nemini tenetur homo reuelare peccata, nisi Sacerdoti. *Responsio.*

SECUNDO dico, quod non est licitum, hoc modo confiteri, nec talis Confessio, si fiat, potest esse Sacramentalis, nec Sacerdos potest talem absolvere, nec est rationi conforme: Quia Confessio debet esse forum secretissimum; nam licet Confessio publica quoque esse possit; tamen quia Sacramenta non sunt contra legem naturæ, secundum quam non licet publicare peccata, idcirco Confessio secreta sit oportet, secundum naturæ leges, & non ratione clauium.

Ratio igitur, quare talis non debeat absolui, est; quia Sacerdos ad legitimè absoluum certus esse debeat, non modò, an il-